



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

Jo. Ludovici PRASCHII
DE

LEGE CARITATIS
COMMENTATIO,
AD
HUG. GROTI OPUS
DE
JURE BELLI & PACIS.



RATISBONÆ,
SUMTU & LITTERIS HOFMANNIANIS.
M DC LXXXVIII.

ILLUSTRI VIRO,


DOM. HENRICO
A V E M A N N O ,

S E R E N I S S . O S T F R I S I A E P R I N C I -
P I S C O N S I L I A R I O E T L E G A T O
M E R I T I S S I M O ,

P A T R O N O S U O V E N E R A N D O ,

S. P. D.

J O . L U D . P R A S C H I U S .



VIR ILLUSTRIS,

 UI ideo venisse Christum autu-
 mant, ut tolleret priscam legem, de-
 moribus naturâ constitutam, pec-
 cандique licentiam aliquam da-
 ret, aut ex adverso legem aliam scisceret
 severiorem; longe falluntur, neque indo-
 tem neque consilium DEI callent. Con-
 trarium aperte docent libri mystici. Ament
 dico vobis (ita Christus ipse) donec
 præterierit cœlum & terra, jota unum
 aut unus apex neutquam præteri-
 erit ex lege, usque dum omnia fuerint
 facta. Perennis scilicet, immutabilis, ne-
 cessaria, atque hujusmodi est illa lex, ut nec
 adhesionem ferat, nec detractionem. Cum
 mundo stat et cadit. Omnes complectitur
 obligandi virtute. In primis que regeniti,
 pro cœlestis gratiae modo, ad perfectionem
 sunt obstricti, vel ultro potius feruntur:

et Calixtus in Epitome Theologiae moralis, Schilteus in Furiisprudentia Christiana, aliique graviter demonstrant. Violarunt semel legem illam primi ac præstantissimi mortaliū, infra dicto juris naturalis principio, Deus est obsequio colendus. Quanto supplicio id luerunt! Inde, cum amplius corrumperetur illa regula, naturæ vicio; promulgavit eam Numen solenniter in monte Sinai, & illustravit quasi multo fulgure. Ad extremum ipse venit DEI Filius, ut cum naturâ legem in integrum restitueret. Perite hæc eloquuntur Eusebius, Orat. de laudibus Constantini, c. 13 & seqq. Nec imperite sumnam colligit Gennadius Scholarius, in Confessione fidei ad Agarenos: Credimus, ait, quod quando voluit Deus per solam misericordiam suam convertere homines à deceptione dæmonum & cultu idolorum (quoniam, præterquam in exiguo loco Judæorum, in quo adorabatur & credebatur unus


Deus ex lege Mosis, reliquus universus
 terrarum orbis venerabatur creaturas
 male, & multos deos, qui tamen nulli
 sunt, loco unius & veri, & vitam de-
 gebant secundum proprias quisque
 cupiditates, non secundum DEI le-
 gem) tunc fecit DEUS hujusmodi
 restorationem hominum per Ver-
 bum, & per Sanctum Spiritum suum:
 & propterea verbum DEI induit hu-
 manam naturam, ut tanquam homo
 cum hominibus versaretur, tanquam
 vero Verbum Dei & Sapientia doceret
 homines credere in unum & verum
 Deum, & vitam instituere secundum
 legem, quam ipse dedit: atque iteum
 ut homo, ut daret suæ vitæ rationem
 exemplum doctrinæ suæ: primus
 enim ipse servavit legem, quam dedit
 hominibus. *Absit ergo, statuamus Chri-*
stum vel peccati ministrum, vel asperio-
rem Mose, & novum quasi Draconem.
Qui fuis error magni Grotii. Itaque mi-

(10)

rum non est, hypothesi illâ occupatum idem
tidem offendisse, nec de lege caritatis
omnium tenerrimâ exacti quicquam po-
tuisse tradere. Nos pròinde succedimus one-
ri, ut reliqua omnia longe impares, sic me-
liore instructi Theologiâ. Quem conatum
euo subjecere arbitrio clypeoq; Vir Illustris,
et doctrinâ et judicio Excellens, Tuoque
adeo nomine inscribere placuit. Supereft,
ut Tu qualemcunque boni consulere, et
que hiant, eruditionis Tuæ vel favoris
copia explere velis. Ita
Vale.



C. B. D.



C. B. D.

I.

Defensio mentio fit caritatis, cum ab aliis Juris Naturalis doctoribus, tum præcipue à Grotio; ita tamen, ut non liqueat satis, quid sit caritas, præsertim Christiana; qui differat à justiciâ, vel jure summo, vel à jure naturali; an huic juri aliquid addat, seu consilii modo, seu præcepti, atque adeo majora exigat; an ipsi caritati accedat aliquid à patientiâ severius; quid denique statendum sit de lege, cui adscribitur, Evangelicâ. Quippe nec tradita ad plenum, & dubitationibus & erroribus implicata res est. Permovit hoc Illustrem Virum, Sam. Rachelium, Patronum meum, ut in Dedicatione Otii Noviomagensis scriberet: *Quo magis & miror & doleo, illas Caritatis & Patientiae leges ne quidem quod ad theoriam satis, quod sciamus, explicatas esse, aut Principibus à suis*

Sacerdotibus qua pars est sanctitate & sedulitate inculcari, ad quarum tamen praxim omnes Christiani tam religiose sunt obstricti. Primo enim investigandum fuerit, quid inter Justitiam, Amicitiam & Caritatem intersit, & an hujus lex ultra ius naturae progrediatur, & quid quantumque exigat. Ita enim nonnulli docent, Caritatem multa vicare, quae jure stricte sumto fieri possint, & vicare saepe, quod ius aliquando permittit. Deinde Patientia nobis prescribitur exemplo Christi imitanda, ad ipsam mortem se extendens. Prius itaque Grotii, dein nostram breviter sententiam exponemus. Vertitur enim, aut egregie fallor, in hoc cardo Jurisprudentiae universalis.

II. Libro 3. divini operis, c. i i. n: 2. ait Grotius: *Ob res caducas hominem occidere, etiamsi à justitia stricte dicta non abeat, à caritatis tamen lege discedit.* Opponit ecco caritatem, & quidem legis titulo. (adde l. 3. c. i. n. 4.) *justitiae stricte dictæ.* In Prolegomenis sicut habet: *Novo federe in hoc usor, ne doceamus, quod non aliunde dissi potest, quid Christianis licet: quod ipsum tamen, contra quam plerique faciunt, à jure naturae distinxii, pro certo habens, in illâ sanctissimâ legem majo-*

rem nobis sanctimoniam præcipi, quam solum
per se jus naturæ exigat. Duo huc ponit Grotius.
Primum est de Lege, quam appellat,
Novâ. In illâ enim sanctissimâ lege, (Novum
intelligit Testamentum) qua tantopere ni-
mirum commendatur caritas, patientia, hu-
militas, majorem nobis sanctimoniam putat
præcipi, quam in Testamento Vetere. Per-
petuus hic Grotio, aliisque confutatus error
est. Deinde & majoris sanctimoniaz præ-
ceptionem novo federi tribuit, quam juri so-
li naturali. Apertius pleniusque l. i. c. 2. n. 6.
contendit, *ulterius nos obligari legibus Christi,*
quam ad ea, ad quæ jus naturæ per se obligat.
Negatque, *in Evangelio, extra præcepta cre-
dendi & sacramentorum, nihil esse, quod non
sit juris naturalis.* Probationes ejus & co-
rollaria adscribere longum est. In quibus
quæ erronæ sunt, discutiunt Theologi, Gro-
tiique interpres. Eadem fere habet l. 2.
c. 20. n. 10. & passim alibi. Cl. Bœcleri ver-
ba in Grot. l. 2. c. 1. n. 8. hæc sunt: *Aliud sci-
licet est lex caritatis, aliud consilium.* *Ipsa*
quoque, quæ dicitur lex caritatis, non debet
confundicur jure naturæ: quando plerumque
*illa in tribunali conscientia ad eam quæstiō-
nem referatur, quæ commendat id, quod certo*

modo, certa causâ, ceteroque consilio tutius ac melius videtur.

III. Nos distinguimus ante omnia jus naturæ. Etenim natura primo fuit *integra*, deinde corrupta, postremo per Christum reparata. Aliud igitur est jus *naturæ corruptæ*, aliud *integrae*, vel integratæ. Legendus Callov. Isag. Theol. c. 3. & 4. Jus *naturæ corruptæ* est (tenues illas & obscuras *integrae* reliquias vix est ut memoremus) *vel* quod ipsa natura depravata sibi finxit; ut cum arbitrantur, obteri innocentem posse, qui fugæ obsteret, Grot. l. 2. c. 1. n. 4. ut cum, urgente necessitate, alienum licito putatur rapi, d. l. 2. c. 2. n. 6. Summa nempe juris hujus est: *Proximus quisque est sibi.* Et de hoc intellige Epist. Judæ, v. 10. Rom. 1. v. 21. 32. Adhibe Calixti Epit. Theol. mor. c. de Leg. p 49. usque ad 61. *Vel*, quod Deus constituit ex hypothesi naturæ corruptæ, & malitiæ humanae. Tanta namque extitit Dei *Philanthropia*, ut condescenderet (ceu loquuntur) infirmitati nostræ, ne intercideret prorsus humana societas, ipsique adeo pii. Quod pertinent bella, publica & privata, *reputatio, judicia & lites*: uti docet Paulus, Rom. 6. v. 7. qui eas dicit esse *alios nisi omnes, omnino imbecili-*

litatem: permittit tamen etiam Christianis Christianos judices. Dixeris hoc *jus hypotheticum*, absoluto oppositum. Non ignota alias penitus ipsi Grotio hæc distinctione. Poteſt ergo ſane dici, diſferre caritatem (ut in ſacris litteris explicatur) à jure naturæ, ſed corruptæ: quod ſolum tradit Grotius ex professo. Etsi enim jactat, ſubinde reſpexiſſe ſe Novum & Antiquum Fedus; veriſſimum tamen eſt Bœcleri juſcium p. 19. 20. Non ergo rectus juſis naturalis ma- gister eſt Grotius, quia ſequitur naturam corruptam. At ſpectanda ex integritate ſuā reſ eſt. Quis curet juſ naturæ depravatæ, poſtquam plenâ luce radiat juſ naturæ integræ? Quis iſanōs malit audire (Ethnicoſ ſignifico) quam ſanoſ? Bene Aristoteles in Politicis: *Quid naturale ſit, ſpectandum in his, quis recte ſecundum naturam ſe habent, non in depravatis.* Dices, Grotium non ſcripſiſſe Christianis foliis, ſed humano gene- ri, ſed profaniſ etiam, & Christianiſ ſimula- tiſ. Verum, etiamſi hoc concedam, non oportet utique cum iſanientibus furere, ſed ita potius agere, ita loqui, ut & iſi ſanentur. Jam vero Grotius, ut ſuum juſ naturæ ex- trauat, corrumpit interdum dicta ſacra, & al- tioneſ

tiori destitutus lumine jus pravum objicit; aut obscurius parcusq; id, quod præcipuum est, ministrat. Alioqui non negamus, etiam jus naturæ hypotheticum non oportere negligi: quod, præter alia, magnam eruditio-
nis gloriam & commendationem Grotio af-
fert.

IV. Potius autem est, ut dicamus, carita-
tem non differre, quemadmodum putavit
Grotius, à jure naturali. Sed distinguimus
ante omnia *caritatem* indefinite acceptam,
à *caritate Christianâ*. Potest enim caritas
illi etiam vel ab illo exhiberi, qui Christianus
non est. Christiani nomen involvit respe-
ctum & obligationem singularem. Itaque
& Petrus 2. Epist. 1. v. 7. post ΦιλακελΦιαρ-
distin&te commendat ἀγαπην, & Paulus, 1.
Thess. 3. v. 12. Una quidem, quod ad effen-
tiam ac thesin attinet, eademque est caritas;
aliter tamen exercetur à Christiano vel in
Christianum, aliter à profano vel in profa-
num. Sic (verbi gratiâ) liberalitas una ca-
demque virtus est; alio tamen modo deme-
retur amicum, alio ignotum. *Perfecta libe-*
ralitas, ait Ambrosius, *fide, caussâ, loco, tem-*
pore commendatur, ut primum opereris circa
domesticos fidei. Nam, ut habet Aristoteles,

par non est, aqualem curam suscipi pro exter-
nis & pro amicis. Scite Amelius, de Consci-
ent. l. 5. c. 7. qu. 4. *Quomodo gradus majo-
ris & minoris caritatis debent exerceri?* R. I.
*Quoad bonum ipsum, quod optandum est
proximo, nullus est locus imparitatis in re ipsa.*
*Summum enim bonum cuique proximo debe-
mus velle, sicut nobis met ipsis.* Hoc etiam est
cujusque officium, ut quantum in ipso est, salu-
tem proximi studeat promovere. 2. *Quondam
affectionem operandi ac voluntatis bonum, nulla de-
bet esse imparitas intensionis & remissionis:*
quia habitus ipse virtutis secundum se iequali-
ser inclinat ad suum actum, sine ullâ differen-
tiâ quoad maiorem & minorem intensionem:
3. *Quod exercitium & effecta hujus affectus,
imparitas frequentia, ordinis, & extensionis
datur, prout circumstantiarum concursus neces-
sariam facit actionem & operationem cari-
tatis.*

V. Alia igitur quodammodo est fraterna
caritas à communi, ceu Lutherus reddit lau-
datum Petri dictum. De qua posteriore af-
firmare non dubito, nihil aliud eam esse,
quam jus ipsum γνωσίως naturale, seu (quod
eodem redit) summam ejus atque animam.
Neque adeo errat Hugo de Roy, quatenus di-
lectio-

lectionem Dei & proximi ad jus naturale refert, tit. 3. n. 5. Quod enim (1.) omnes obligat, non potest alio referri, quam ad jus naturæ. At præcepta Dei moralia (in quibus caritas) omnes obligant, teste Ecclesiaste, c. 12. v. 13. & Paulo, 1. Tim. 1. v. 5. (2.) DEUS est ἀγάπη, 1. Joh. 4. v. 7. Atqui homo conditus est ad imaginem Dei. Naturâ igitur factus ad amandum. (3.) Saltem hoc concedes, teneri cognaros ad amorem mutuum. Jam vero inter omnes homines cognationem quandam natura constituit. Propius, remotius, ab unâ stirpe omnes sumus. Quod apposite explicat Seneca, Ep. 96. (4.) Et nonne lex moralis, repetitio est juris naturæ? Rom. 2. v. 14. 15. Unde & Hebrei ius naturæ nominant mores, Seleno teste. Ad diserte vocat Paulus dilectionem ἡλίκωμα νόμος, impletionem legis, Rom. 13. v. 10. Nenini, ait, quicquam debete, nisi hoc, ut alii alios diligatis: nam qui diligit alterum, legem implevit, v. 8. & versu seq. ἀνακεφαλαιώσι præceptorum legis vocat illud, Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Quod pulcroconvenit cum doctrinâ magistri, Matth. 22. vers. 37. 38. 39. 40. (5.) Quoties denique Cicero in Officiis (ut alios transeam gentiles Sophos) caritatis

caritatis meminit? veluti cum dicit lib. I.
Carisani liberi, propinqui, familiares: sed
 omnes omnium caritates patria una complexa
 est. Unde hoc illi notum? non ex lege na-
 turæ? nonne caritas vinculum universi
 est?

VI. Ex his ipsis sane quam apertis datur
 intelligi, caritatem, universe & generatim
 loquendo, esse necessitatem, meritoque dici
 legem caritatis; ac proinde; si quod aliud ius
 repugnet, germanum non esse. Exemplum
 suggerit contra se Grotius, l. 3. c. 18. n. 4. Pau-
 lus enim vocat illam ὀφελημα, debitum, d. l.
 Rom. 13. v. 8. Nec mirum. Precepit enim
 passim ac serio, cum pollicitationibus & mi-
 nis, summus Legislator: nec frustra utique
 tam sollicite è principiis Mosaicis explicuit,
 ac repurgavit. In primis vero obligantur, qui
 dederunt nomen fidemque Christo. Si non
 venisssem, & locutus essem eis, peccatum (tantu)
 non haberent: nunc autem non habens, quod
 prætexant peccato suo; ait ipse, Joh. 15. v. 22.
 Atque ob id appellat diserte ἐντολὴν καίνην,
 mandatum novum, c. 13. v. 34. non quod olim
 sic non fuerit, sed quia Christus præsens sum-
 mā suā auctoritate, luce, & exemplo renova-
 vit, impendio vita docuit, facileque reddi-
 dic.

dit donis suis. Vide sis Dorschæi Theolog. mor. 3. præc. n. 2 36. Eusebius Hist. Eccl. l. I. c. 4. affirmat, vitam ac discipline rationem non recens à Christianis compositam, sed jam inde à primâ quasi ardentiori, ex naturabis notionibus, hominum Deo antiquitus dilectorum studio cultam fuisse. Faces sat igitur sententia Socini, quæ Christum perhibet auctorem legis novæ, sanctioris, ac perfectioris. Voluntas Dei immutabilis est; quare & una lex morum sanctissima atque optima, ex aeterna lege profluens, & cunctos perpetim obligans homines. Sed & velle & efficere eam suo modo, & intelligete vere possunt soli Christiani: corruptam habent alii, suâ culpâ. Distinctionem consilii à precepto in doctrinâ hominum largimur, in doctrinâ **CHRISTI** haud agnoscimus. Vide loca Matth. 7: vers. 24. I. Joh. 3: vers. 21: 22; Jacob. 4: vers. 17. Schilteri Jurisprudent. Christ. cap. 10. Sed finge, dari hujusmodi consilia; ideo negligamus, ut non dæta? nec tenebimus lege gratitudinis? Plane, quid tantum querit, quid salvâ conscientiâ sibi liceat, in eo non videtur esse vera caritas: *Oderunt peccare mali formidine penæ.* Bonis haud sufficit, Deum non offendere; sed ulterius facere

facerē student, quicquid ei apprime gratum esse sciunt. In quo si debiles initio sunt, oportet convalescere, & ex pueris evadere viros. De crocodilo ferunt, cum crescere, quam diu vivit: certius hoc de caritate dixeris. Plura inferius, n. i 4.

VII. Sunt autem varii respectus & necessitudinis gradus inter homines: unde varia juris vincula & obligationis gradus ac vocabula existunt. Ita civi magis sum obstrictus, quam extero, ceteris paribus, & amico, quam osori: licet Hebrei majorem habeant rationem osoris Hebrei, ad subigendam pravam cupiditatem, apud Hottingerum, in Iure Hebr. L. 68. p. 83. Ejusmodi nomina cumulat Tertullianus, dicens: *Liberas in Christo non fecit innocentia injuriam: manet tota lex pietatis, veritatis, constantiae, castitatis, iustitiae, misericordiae, benevolentiae, pudicitiae.* Similiter Seneca: *Quanto latius officiorum patet quam juris regula? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exigunt?* Adi Grotium, l. 3. c. 10. n. 1. & Azorium, Instit. mor. part. 2. l. 12. c. 2. qu. 1. & 6. Quot igitur harum rerum, quot officiorum ac virtutum appellationes; tot sunt caritatis nomina, tot species. Sed in aliis actibus magis

eminet caritas, in aliis minus. Verbi gratiâ: evidenter & ubertim conspicitur in Amicitiâ: ex quo appellatus est *amor amicizie*. Nam & *amicus* ab *amando* dicitur Festo. Aliud subjicimus exemplum: prætor punit nocentem. Hoc non videtur opus dilectionis, sed contrariæ severitatis. Itaque *Justitia* adscribitur. Qui dampnum dedit, cuius reparatio potest exigiri, dicitur *laesissimam*; qui secus, *caritatem*, Grot. l. 2. c. 17. n. 9. ubi ambigentes videoas Zieglerum & Henniges in Notis. Azorius d. l. notat: *Si facimus bene alicui, quia id bonum illi debemus ex pacto, contractu vel quasi contractu, justitiae officium et opus est: at si faciamus gratias, propter ipsum, est actio caritatis.* Hoc quidem sensu distinguitur, non opponitur caritas *justitiae*. Et quoniam in voluntariis magis cernitur, quam districte debitiss; sic quandoque describitur, ut consulta magis, quam præcepta videatur. Remissio quoque juris, cum amoris ergo ne eo quidem utimur, quod licet; nunc *emaneia* vocatur, i. e. *equitas* (vid. Terent. Adelph. I, I. 26. ibique Donat.) nunc caritas; adeoque opponitur juri stricto, & ex genere sit species.

VIII. Singula hæc suos rursum gradus habent. Verbi causâ: si de justitiâ sermo sit, justo datur justius. Ac in universum bono reperitur melius: certatque secum ipsa aliquando caritas. In eadem re diversos videbis beneficiendi modos, & (ut sic dicam) comparativos. Immo tendit beneficentia quasi in infinitum, infiniti præmii depositi memor. Augustus princeps inimico Cinnae, quem licebat plectere, ignoscit: perbene. At non ignoscit modo, verum & in amicitiam recipit hominem, donisque conciliat: tanto melius. Dignus legi Seneca, de Clementia, l. i. c. 9. Succurro inimici necessitatibus: recte, & ex præcepto Apostoli, Rom. 12. v. 20. *Si esurit inimicus tuus, ciba eum.* Benefacio eidem ultra necessitatem; præclare, & ex monito Christi, Matth. 5. v. 41. *Quisquis te angariabit ad milliare unum, abi cum eo duo..* Nam ex secundo de munus milliari caritas perspicitur, quæ in primo nulla est vel obscura. Confer Epist. ad Philem. v. 14. De Aduis refert Tacitus: *Frustra adversus eos quæsita belli causa. Jussi pecuniam atque armæ deferre, gratis uitos insuper comitem probnere.*

IX. In concurſu plurium, qui noſtre in-
digent benevolentia, tenendus ordo. Et
de aliis quidem gradibus dixi in Caritate Pa-
tria: cui addere profuerit Azorium, Instit.
mor. part. z. l. 12. c. 4. De caritate vero Chri-
ſtianā mox dicetur. Etiam in amando ini-
mico gradus repperit Origenes, homil. 3. in
Canticum. Sunt autem vincula ista vel ſin-
gula, vel conjuncta. Qua de re tenebis regu-
lam: Quo arctiora pluraque concuſtant vi-
cula, eo major est obligatio caritatis. Exem-
pli gratiā: bellum quamvis justum, extra de-
fensionis terminos, gerendum ſit cum vici-
no, cum affini, cum Chriſtiano, & ejuſdem
quidem cœtus, contra stipulatum pacis ater-
nā. Quo ſanctius hīc & numerosius vi-
culum, eo flagrantius debeo ſtudere bello
prævertendo, vel moderando, vel finiendo
æquis legibus. Ne pœnitentia queri cogat
cum Latino: *vincla omnia rupi: arma im-
pias sumſi.* Virg. Aen. l. 12.

X. Nunc agendum ſingillatim eſt de ca-
ritate Chriſtiana. Superius namque monui,
plus eſſe quodammodo caritatem Chriſtia-
nam, quam communem, & intendi vim ob-
ligationis universalis ſingulari hoc reſpectu,
qui extrinſecus à perſonā accedit. Hoc lo-
co

eo addimus, omnium arctissimum esse vinculum, etiam si solum sit, quod religionis Christianæ contemplatio & commercium gignit. Cedere ei jus herile, patet ex Epist. ad Philem. v. 16. De reliquo testem facimus Jo. Conr. Dürrium, Ench. Theol. mor. part. 3. sect. 4. c. 3. n. 13. In Clementis legitur constitutionibus: *Omnibus largiendum de nostrâ operâ: sed ita, ut sanctorum potior habeatur ratio.* Quod & alibi Apostolus docet. Plane hæc obligatio abit eis à temporis in infinitum. Nihil enim magis unum fieri potest, quam inter se Christiani sunt. Quid non complectitur hæc societas? à qua fratres dicti, obsoleto jam (proh dolor) vocabulo. *Qui se osculantur osculo amoris* (quod Christiani veteres solebant, maxime post Eucharistiam) *spirillum suum mutuo transfundunt.* Una quippe omnibus sanctissima Fides, geminum Sacramentum, sacra in omnibus Trias; cum qua & comparatur istæc unio, Joh. 17. v. 21. 22. Unius patris filii sumus: una spes hæreditatis. Anima & corpus unum efficiunt individuum: sic nobis unus obtigit Spiritus, & in S. Synaxi unus panis: *iea multi unum corpus sumus, quia omnes de eodem pane* (qui est communio).

corporis Christi) participamus, 1. Cor. 10. v. 16,
17. ne de Agapis veterum dicam. O my-
sterium in exhaustum! Quo sit, ut Christiani-
norum corpora sint vetere facrosancta,
1. Corinth. 3. vers. 16. 17. & sicut membra
Dœi, ut est in Epistolâ quadam Pii Episcopi:
Exhorresceres, puto, si læsæ majestatis divinæ,
si violati conviciis vel pulsati Christi ren-
fieres. At hoc facit, qui Christianorum
minimum lædit, teste ipso Christo, Matth.
25. v. 45. Act. 9. v. 4. 5. Jam quid de illis di-
cam, qui totos populos Christianos bellis ve-
xant, spolianit, trucidant? nonne millies (hor-
rendum dicitur) Jesum occidunt? Hei quam
durum erit eis contra stimulos calcitrare! Si-
quis templum Dei violat, hunc perdet Deus.

XI. Distinctius agam. Vel Christiani
 actio dirigitur in profanum, vel profani in
 Christianum, vel uterque Christianus est.
 Christianus, lædens profanum aut deserens,
 nisi alia cogat ratio, peccat: quia caritas ad
 omnes pertinet homines, præcepti modo.
 Consule Grotium, l. 2. c. 15. n. 10. in primis
 que Paulum, Gal. 6. v. 10. 1. Thess. 5. v. 15.
 Et quidem gravius peccat, quam profanus
 lædens profanum: quia profanorum male-
 dictis exponit nomen Christi, nocetque ex-
 emplo. Qua de re largiter Salvianus, l. 4. de

Gub. Dei. In profanis etiam ille gravius delinquit, qui profanum, eadem secum sacra colentem, falsa licet, offendit. Indicio sunt federa, obtestationes, jurandum per *communes deos, & communia sacra.* Expende locum Act. 17.v.22.23. At profanus, Christianum laedens, longe atrocius admittit facinus. Clamat enim de cœlo Christus : *Saul, Saul, quid ME persequeris?* Lectu digna est Oratio Constantini Imp. ad Sanctorum coetum, c. 25. Θεοπαχίας hoc respectu nominat Eusebius. Omnium vero tetricime peccat Christianus, insultans Christiano. Apparet hoc ex objurgatione & climace Pauli, I. Cor. 6.v.7.8. *Quare non potius injuriam patimini? quare non patius damnum accipitis? At vos injuriam facitis, & damno augetis, & quidem fratres.* Æstimatio hujus criminis immensa est. Omni quidem malefacto infinitum laeditur Numen, in æterna supplicia. Nequaquam tamen Deus alia delicta sic in injuriam suam accipit, ut ea, quæ petunt Christianos. Jam concepta est horribilis sententia, Matth. 25. v. 45. Immensiora tamen, ut sic dicam, malefacta sunt, quæ à Christianis ipsis profiscuntur, in opprobrium tam magni & benefici non minis.

minis. *Servus enim, qui scit voluntatem Domini, nec se comparavit, neque fecit ex voluntate ejus, multis cæderetur plagis*, Luc. 12. v.47.48. *Et, quisquis offenderit aliquem ex parvis istis, qui in me credunt, præstiterit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, ac demergatur in profundo maris.* Ita *judex ipse loquitur*, Vx atque iterum Væ denuntians, Matth. 18.v.6.7. *Præter cæteros tamen nimium quam graviter offendunt, qui primariò à peccatis alios debent prohibere pœnis, monitis, exemplis.* Unde legimus Sap. 1 I. v.7. *Potentes potenter tormenta patientur.* Tales comparat Siracides *Eunucho de virginanti juvenculam, custodiz suæ traditam*, c.20.v.2. *Sicut autem maleficia, ita & beneficia in immensum exaggerat respectus Christianismi.* Matth. 10. vers. 40. 41, 42. Euseb. de vita Constantini, lib. 1. cap. 3.4.

XII. Quid si vero Christianus ille, cum quo agimus, hereticus sit, vel alioqui improbus? Plane, si profiteatur se Christianum, idem ei debemus, propter nomen Christi, quod aliis debetur Christianis, d.l. Matth. 10. v.41.42. & 1. Tim. 2. v. 1. 2.3. Nisi forte membrum ægrum pro membro corporis

habendum non est. Quod si praestanda profano caritas, ut paullo ante demonstravi, quanto magis qualicunque Christiano? *Peccatores atque inimici ex caritate diligendi sunt, quatenus proximi nostri, i.e. ejusdem naturae consores & beatitudinis aeterna capaces sunt;* Laymann. ex Thoma & aliis, Theol. mor. l. 2. tr. 3. c. 4. pr. Nisi aeternis eos suppliciis apud inferos mactari constet; Dorschæus, Theol. mor. de 3. præcepto, n. 23 l. Quid? quod fieri posset, ut is, quem haereticum vel malum putas, melius te ipso sit. Eoque ne obtentus quidem purioris religionis conferendæ vim excusat. Concilii Tolontani canon est: *Principit sancta Synodus, nec mini deinceps ad credendum vim inferre. Cui enim vult Deus miserebitur, & quem vult inducat.* Alias merito justitiam exercent magistratus, Dei jussu. Potius tamen utique in contentione benefaciendum ei, qui sit omnes mu्, ejusdem aera particeps, si cetera sint paria. Nam & hoc summopere adstringitur obligatio. *Efficacissimum philorum vinculumque indissolubile benevolæ amicitiae est unius Dei cultus;* inquit Philo. Et Ambrosius? Plus diligere debemus, quos perperuo nobiscum putamus fierios, quam quos in hoc se-

culo tantum. Inteltables igitur & infandi sunt, qui tales graviter & consulto lèdunt, maxime auxilio profanorum.

XIII. Quid est autem Patientia Christiana? Et hæc subjicitur caritati, sicut etiam Humilitas. *Dilectio omnia suffert, omnia sustinet;* 1. Cor. 13. v. 7. Nisi quod caritatem in agendo, patientiam (ut ipsum nomen indicat) in patiendo magis cerni, dicere possis. Quare & distinguit hanc ab illa Jo. Ad. Osian-
der, Theol. mor. part. Spec. c. 2. th. 10. Dürrius item, & alii. *Caritas proximum non officia-
mato,* Rom. 13. v. 10. Patientia è diverso malum tolerat (quod est difficilius, quam non dare malum, aut facere bonum) ac omnino, exemplo Christi, ad mortem usq; durat. Philipp. 2. v. 5. 8. 1. Thess. 2. v. 8. Per hac cognovimus caritatem, quod Christus ani-
mam suam pro nobis posuit: nos igitur debemus pro fratribus animas ponere, 1. Joh. 3. vers. 16. Baldwinus debitum hoc de promptitudine ac-
cipit, & licere tantum putat, tribus casibus,
Cal conc. l. 4. c. 17. v. 8. Ipse tamen exci-
pit rationem officii: & quid rei est prompti-
tudo, sine effectu? Lege, obsecro, rotum
cap. 18. lib. 5. Inst. Lactantii, & Dannhauer.
Colleg. Decal. disp. 9. qu. 2. 3. Negat Gro-
tius,

titus, hoc juris esse naturam, t. i. c. 2. n. 6. Unde ergo innovuit Ethnicis? Titus Vespasianus peritum se potius, quam perditum adiurabat, teste Sue. c. 9. Et Piso apud Tacitum ait: *Aque apud bonos miserum est occidere, ac perire.* Alia congerit exempla Valerius Max. l. 4. c. 7. In Damonis & Pythiae facto violata esset amicitia, si alter alteri vadem se negasset. Principem, vel privatum Dominum, vel pestis tempore conjugem periclitantem si quis deferat, non infamis ac perfidus habebitur? *Pro patria quis bonus dubites mortem oppitere, si sit ei profuturus?* inquit Cicero. Quae talibus debeo majore gradu, omnibus debeo jure naturae. Disputat porro Grotius, pro fratribus demum, non pro inimicis, mori oportere lege Christi, l. i. c. 3. n. 3. At qui Christus, nostrum exemplar, qui diligere nos jussit inimicos, pro inimicis & impiis mortuus est, Rom. 5. v. 6. 10. Quod ipse Grotius memorat, l. 2. c. 24. n. 1. Nostra quoque vita, inquit, curam honeste deferi, ut alterius & vita & saluti perpetua, quantum in nobis est, consulamus, supra suo loco dictum est. Maxime autem Christianis hoc convenit, qui in eo perfectissimum Christi imitancur exemplum, qui pro nobis adhuc impiis & infidis

stis morti voluit, Rom. 5. v. 6. At honestum
 nempe, non necessarium, putavit Grotius, id,
 factum sequi. Quamobrem? Quia Christus
 id non fecit ex lege aliqua, sed ex speciali
 pacto & federe in isto cum Patre, qui si id faceres,
 non modo summam ei gloriam, sed & gentem
 in eternum duraturam promisit, Ex. 53. v. 10.
 Satis hoc dilutum, & indignum Grotio est.
 Quia si id quereretur, an Christus fecerit ex
 lege; non, an Christi actio hæc sit nostra in
 stitutio. Esse dicit quidem hoc factum quasi
 singulare, & cui vix quisquam reperi i simile,
 ostendat Paulus, Rom. 5. v. 7. Plane singula
 re hoc factum est, cum alias ob res, tum ob
 malitiam hominum; non deesse tamen
 prorsus exempla, longo licet propinqua in
 tervallo, ipse agnoscere videtur. Paulus
 vellet animosua fieri pro Judæis, Rom. 9. v. 3.
 Nec excludit inimicos dictus locus, 1. Joh. 3.
 v. 16. sed includit rationis amplitudine. De
 bemus igitur & pro infensis fratribus (fra
 terum quoque gratia rara) & pro aliis, oppetere
 mortem aut discrimen, instar Christi, si justa
 causa urgeat. E.g. Judæus opprimitur vi
 injustâ ab alio, imploretque meum auxilium
 jure humanitatis, vel per nomen Christi:
 non succurram illi? Scio, & illum hîc præva
 lere

lege respectum: quia tamen ingens beneficium præstatur inimico, ad exempla caritatis referri merito videtur. Nempe, ut iudex non personam ejusque affectum, sed justiciam causæ debet respicere: sic indignum Christiano foret, omittere, quod justitia, quod præsens alterius necessitas requirit, ob sinistrum ejus erga se animum: quin hoc magis miserebitur. Alium Grotius injicit scrupulur, l. 2. c. 25. n. 7. Laudat Senecæ dictum: *Succurram perituro, sed ut ipse non peream: nisi si futurus ero magnè hominis aut magna rei merces.* Addit: *Sed ne tunc quidem tenebitur, si oppressus nisi morte invasoris eripi non potest.* Nam si invasoris vitam, qui invaditur, sua potest præferre, ut alibi diximus, non peccabit, qui invasum id aut credet aut volet malle: præsertim cum ex parte invasoris majus sit periculum danni irreparabilis & sempiterni. Aliter sensit Moses, qui Ægyptum, invasorem injustum, morte compescere non dubitavit. Et quid hoc rationis est, Potuit aggressoris vitam alter suæ præferre, ergo voluit, aut censendus est voluisse, vel debuisse velle? Plerique tali casu jure suo (de quo ipse Grotius, l. 2. cap. I. num. 3.) sine dubio uti malunt, *Nec nobis*


de alterius voluntate hariolari, sed officium facere, & innocentia opitulari pro re convenit. Quod si mors ferenda est pro inimico, quanto magis ab inimico contumelia? Non adscribam notissima verba Christi & Apostolorum, cum exemplis. Epictetus eas, ut opinione tantum nostrâ fictas, spernere docet, Enchir. c. 27. Legendus Seneca, libro toto de Constantia Sapientis, sive quod in sapientem non cadit injuria; Grotius item, l. 2. c. 20. n. 10.

XIV. De cætero infiniti casus sunt, variâ rerum circumstantiâ. Sed omnes proutrum est definire Christiano, caritatis normâ. Non inscrite dixit (modo circumspete accommodades) qui pronuntiavit: *Dilige, & fac quod vis.* Tollit enim caritas vel inuit delicti, si quod subest, rationem. Et caritas vera est præcepta, modus ejus ratione quadam liber. Nam vel præceptus non est, vel casus certos respicit. Sic dare gratis egeno Servator iussit; quantum daremus, non expressit: nisi quod commendavit largitatem & μεγαληροτητας χυνόμενον. Nam proportionem anxie querere, justitia magis est (quæ alio pertinet) quam caritatis. Mori pro fratribus nos oportet.

portere liquet; quando oporteat, pruden-
tiæ notio est: nisi quod de eo casu dubitari
necessit, quo æterna alterius salus periclitatur.
Nam hunc indicat exemplum Christi. Af-
fuerimus igitur saltem caritati: quæ ex Deo
est, i. Joh. 4. n. 7. & lege Christi œsodidæxtræ
redit, i. Thess. 4. v. 9. Joh. 15. v. 12. Quare
aliter modo, quam profanus, exercet eam
Christianus. Exercet enim crebrius, ubi-
rius, lætius, ex habitu supernaturali, ad finem
supernaturalem, per gratiam, lumen & effi-
cacitatem Spiritus Sancti. Caritas Dei, in-
qui, Apostolus, effusa est in cordibus nostris
per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis,
Rom. 5. v. 5. Frustra igitur ab hominibus
mundo immersis pacificos ejus fructus expe-
ctaveris. Destituuntur enim Spiritu amo-
ris, hoc est, Christiani non sunt, quamvis se
dicant esse, vel superlativo gradu. Atque
hæc satis sit de Christianâ caritate rudi peni-
cillo adumbrasse. Plura sufficiemus; Deo fa-
vente, in Compendio Juris Naturalis ex di-
sciplina Christianorum. Quod institutum,
Grotio neglectum, optabile esse non una no-
mine, Cl. Bœclerus autumavit, præfat. in
Grot. p. 20. Nec alio respexit, nisi fallor, Ra-
chelianum, quod laudavimus supra, votum.


Discl-

Disciplina enim Christianorum est, de qua
verissime Arnobius: *Si omnes omnino, qui
homines esse se non specie corporum sed ratio-
nis intelligunt potestate, salutaribus ejus pacifi-
cisque decretis aurem vellent commodare pau-
lis per, & non fastu & supercilie tenuidi suis po-
sius sensibus, quam illius commonitionibus
crederent, universus jam ducum orbis mitiora
in opera conversus usibus ferris, tranquillitate
in mollissima degere, & in concordiam saluta-
rem incorruptis federum sanctionibus
convenires.*



Comparavit S. Anselmus B. E. 1792. Fv A.

Disciplina enim Christianorum est, de qua
 verissime Arnobius: Si omnes omnino, qui
 homines esse se non specie corporum sed ratio-
 nis intelligunt potestate, salutaribus ejus pacifi-
 cisque decretis aurem vellent commodare pau-
 lis per, & non fastu & supercilie tuendi suis po-
 sius sensibus, quam illius commonitionibus
 crederent, universus jam dudum oabis mitiora
 in opera conversis usibus ferris, tranquillitate
 in mollissima degeret, & in concordiam saluta-
 rem incorruptis fedibus sanctiōnibus
 convenires.



Comparavit F. Anselmus B. E. 1792. P. A.